

nunt; a quibus ferociter est responsum: Non esse cur Venetus voluntariam ullam Sicensium speraret deditionem: armis opus esse, non verbis, si urbe potiri vellet. Motus Pisanus superbo oppidanorum responso, multitudine navium fretus (quæ septem jam & triginta numero erant) pergit urbem invadere. Portum itaque repente ingressus, jubet suos in terram descendere, ferociterque muros urbis subire. Tantus fuit ab initio ardor, ut scalis non uno loco mœnibus admotis, effossoque muro, oppidum sit momento temporis captum: cædes oppidanorum ingens edita; maxima pars civium cum liberis & uxoribus in prætorium se receperant: hic aliquandiu atrociter dimicatum. Verum hoc quoque expugnato, in omnem sexum & ætatem indifferenter sævitum est: multi cæsi, quidam ex superiore prætorii parte præcipitati. Fuit arx in parte urbis satis natura & opere munita: huc quoque multi mortales confugerant: ii multitudine confisi, impetu in Venetos facto, media urbe ausi sunt prælio congredi. Diu varie pugnatum: atque hic aliquanto major cædes fuit quam alibi. Victi Dalmatæ iterum in arcem compulsi, a cujus oppugnatione consulto Pisanus abstinuit, veritus ne, se in eam intento, hostis prætervectus Jaderensem portum occuparet. Direpta igitur urbs atque incensa, captivique inde abducti quam plurimi, præda ingens ad naves relata: Venetias triremis una ire iussa est, Sicique expugnationem Patribus nunciare, doceretque ad hæc, omnino commeatu opus esse.

Turmis inde ad naves revocatis, Victor Tragurium versus solvit. Habet Tragurinus portus duo ostia, ad ortum unum, alterum ad occasum spectans: utrunque Genuenses magnis operibus ita obstruxerant, ut Veneti oppugnatione deterriti circa illud quod ad occasum vergit, in ancoris stare sint coacti. Aberat tum pars Ligusticæ classis, quæ ad Appulam frumentationem exierat: inde autem reversus hostis averfa parte, ne conspectus quidem ab ullo, ad suos rediit. Quod factum quum Pisanus rescivisset, divisa classe, utrinque Ligurem obsidere perrexit, parte

*Tragurium
oppugnare
bis frustra
adortus est.*